



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De diuersis nationibus Romanos impugnätibus, sed diuina prouidentia aut
oppreßis aut fœdere adstrictis. Capvt V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

ac ceteros omnes, qui præfecturas in palatio habebant interficiunt: Interficitur autem & ipse quoque à militibus Rauennæ, vir, si quis alius vnquam ad magnam potentiam euectus, & qui vniuersos, vt ita dicam, Romanos ac Barbaros sibi habuerit obtemperantes: Stilico itaque postquam Imperio malè velle iudicatus esset, ita interfectus est. Occiditur autem simul & Eucherius quoque eius filius.

*De diuersis nationibus Romanos impugnãtibus,
sed diuina prouidentia aut oppressis aut scæ
dere adstrictis. CAPVT V.*

Eodem tempore quoque accidit, vt & Hunni, qui in Thracia exercitum habebant, Imperatore ipsos neq; impetente neque persequente, multis amissis cum dedecore in fugam versi sint: Vides enim Barbarorú Istri accolarum dux copiosissimo exercitu instructus fluuium traiecit, & in Thracum finibus castrametatus est, & cum Castra martis, Mysiæ ciuitatem, proditione cepisset, hinc in reliquam Thraciam excursions fecit, & inducias cum Romanis facere præ superbia dedignatus est. Nam cum Thracium exercituum præfectus cum ipso de pace loqueretur, ille solem exorientem demonstrans, non difficile sibi aiebat fore, si quidem vellet vniuersam terram, quam hic lustraret, subuertere. Huiusmodi minas dum ille intonat, & Romanis tributum quantum ipse vellet, imperat, & optione defert, vt aut his præstandis pacè obtineant, aut negandis expectent bellum, ac proinde res in ancipiti stat, declarauit Deus quantam erga præfens hoc Imperium curam gereret: Neque enim ita multo inter familiares ac satellites Vldæ sermo coortus est de Romanorum Politia, & de ipsius Imperatoris humanitate, quibusque & quantis præmiis ille viros strenuos ac bonos prosequatur: Ea re illi non sine diuino nutu in amorem Romanorum pellecti, ad ipsos deficiunt, & cum ipsis castra iungunt vnà cum his, qui sibi subditi erant: Vides igitur vix tandem in ulte-

Dd ij morem

SOZOMENI HISTOR.

riorem fluuij ripam incolumis euasit, cum ex suis multos amisisset, omnino autem illos, quos Scirros uocant, Gens erat hæc satis populosa, antequam in hanc calamitatem incidisset: nam cum hi in fuga posteriores essent, alij ex ipsis interfecti, alij captiui ac uincti Constantinopolim transmissi sunt: Et cum præfectis consultum uideretur dispargere istos, ne forte, si numero ualere, aliquid tentarent noui, alios exiguo pretio uendiderunt, alios in seruitutem gratuitos donarunt, ea tamen conditione, ne unquam uel in ciuitatem Constantinopolitanam, uel in ipsam adeo Europam ingrederentur deinceps, sed intermedio mari, eo loco secluderentur, qui ipsis deputatus esset. Ex ea porrò multitudine, quæ ex his uendi non poterat, alij alibi habitare iussi sunt, multos autem in Bithynia equidem uidi sparsim ad montem, quem Olympum uocant, habitantes, & colles ibi & montium radices percolentes.

De Alaricho Gottho, & quomodo Romanos adortus bello afflixerit.

CAPVT VI.

Orientis itaque Imperium hostibus liberatum, & summo cum decore gubernatum fuit præter omnium expectationem, utpote cum iuuenis adhuc esset Imperator. At uerò Occidens in perturbatione erat, cum multi Tyranni insurgerent. Nam eodem tempore post Stiliconem interemptum Alarichus Gotthorum Dux cum pace ab Honorio petita frustratus esset, urbem obsidione cinctam oppugnat, multis Barbaris ad fluuium Tiberim dispositis, ne forte commeatus oppidanis importaretur ex portu. (sic autem Latini uocant quod Græci uocant ἐπιπέδον.) Cum autem diuturna esset obsidio, & pestis simul & fames urbem affligeret, atque interim serui multi, ac maximè quotquot natione barbari erant, ad Alarichum transfugerent, necessarium uidebatur ijs, qui in senatu adhuc pagani erant, ut & in capitolio & in reliquis templis sacrificaretur: Nam Thusci quidam ad hoc acciti ab urbis Hyparcho, promiserant se

ful-